Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 457
Quelle:
Copyright:

gov, seu Opus sex Dierum Creationis latine redditas Sec. V. ab *Eustachio*, sive *Eustathio*, quibusdam dicto *Diacono*; *Afro* ad petitionem *Syncleticae Diaconissae* Germanae suae, Feminae, ut *Eustachius* in praevia testatur Epistola, sacrae lectionis studiosissimae. Inscribitur et incipit haec Epistola: *Eustachius Sincletice germane diaconisse. salutem in christo. Religiosus simulque studiosus animus tuę germanitatis dum plenitudinem celestium nosse desiderat scripturarum* &c. Versio autem: *Conueniens exordium de mundi compositione narraturus adsumpsit* &c. Comparet illa post varias editiones T. I. edit. *Maur. Paris.* 1721. *Append.* p. 631. f. cui collatus Codex noster probe, ut plurimum, consentit. Subjecit ei Librarius charactere unciali: *Explicit Liber Eustachii Ad Sincleticam De Exameron Sancti Basilii Translato De Greco In Latinum.* Quod neminem turbabit, qui aut praecedentia legerit, aut Codicem ipsum inspexerit.

CCLXIV.

U. 165 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 135. f. nitide scriptus in *Italia*, purpura distinctus, et olim a *Johanne Fabro* Praesule nostro donatus Collegio suo ad D. *Nicolaum* hunc praefert Titulum: *Beati Basilij Archiepiscopi Cesaree Cappadociensis de deitate Filij et spiritus sancti aduersus Eunomium Liber a Georgio Trapezuntio traductus.* Praeit vero: *Ad Joannem Archiepiscopum Srigonieusem* (sic) *Georgij Trapezuntii in traductionem librorum magni Basilii contra Eunomium prefatio.* Dabo Traductionis hujus Exemplum aliud *Cod. seq.* CCLXV. Praefatione Card. *Bessarionis* ad *Eugenium* IV. et *Trapezuntii* ad *Bessarionem* munitum. Cum igitur *Eugenius* jam annum 1447. in vivis supremum habuerit; *Johannes* vero noster *Vitezius* insulas *Varadienses* primum anno 1465. cum *Strigoniensibus* commutarit, liquet, *Trapezuntium* rei fortassis familiaris angustiis pressum munifici Praesulis nostri fores denuo pulsasse. Quoniam autem Praefationis hujus secundae mentionem nullibi reperio, ad Card. *Quirini* et *J. B. Paschalii* modum eam hic integram visum est adtexere.

Catholica veritas, quae Scripturis sacris pater optime continetur, quemadmodum in duobus testamentis veteri ac nouo fundata est, sic maximas persecutiones duas habuisse, latere neminem harum rerum studiosum arbitramur. Unam, qua idolorum cultores evertere viribus omnibus praedicationem Apostolorum et Christi evangelium conati fuerunt. Alteram haereticorum, qui licet Scripturas non ignoraverint, ad Platonicorum tamen, quae post Christum fuerunt, dogmata non longe ab idolatria sejuncta superbia quadam, et loquendi facultate magis quam intelligendi scientia freti confundere omnia maximopere laborarunt. Sed Dominus noster Jesus Christus hoc est ipsa veritas genus humanum sanguine